



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

XIX. Vt Missae a ieiunis clericis celebrentur & audiantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

XVIII.

Non licet absque Paschæ solennitate vlllo tempore baptizare, nisi illos quibus mors vicina est, quos grabatarios dicunt. Quod si quis in alio pago, contumacia faciente, post interdictum hoc infantes suos ad baptismum detulerit in ecclesias nostras, non recipiantur vsque ad satisfactionem. Et quicumque presbyter ipsos extra nostrum permissum recipere præsumpserit, tribus mensibus a communionem ecclesiæ sequestratus sit.

XIX.

Non licet presbytero, aut diacono, aut subdiacono, post acceptum cibum vel poculum Missas tractare, aut in ecclesia dum Missæ dicuntur stare.

XX.

Quod si presbyter, quod nefas est dicere, aut diaconus, aut subdiaconus, post acceptam benedictionem, infantes procreauerit, aut adulterium commiserit, & archipresbyter hoc episcopo aut archidiacono non innotuerit si scit, integro anno non communicet, illi vero qui hoc commiserint depellantur.

XXI.

Non licet presbytero, post acceptam benedictionem, in vno lecto cum presbytera sua dormire, nec in peccato carnali misceri, nec diacono, aut subdiacono.

XXII.

Non licet relictæ presbyteri, nec relictæ diaconi, nec subdiaconi, post eius mortem maritum accipere.